

Hispaniam illustrarunt, uti mox dicam.

Que Hispania Australis civitates ab illis possessa.

1549 Sed quas, inquis, Australes Hispaniae Urbes possederunt? Nam has signatum nominat Abdias: possidebit civitates Austri. Dexter quingentos illos viros, qui Anno Christi 35. ex prima Jerosol. persecutione in Hispaniam venerunt. Carthaginem Spartariam, Australem Hispaniam Urbem, appulisse, scribit, ibidemque orfos Christi mysteria, Deiparaeque vitam Hispanis denuntiare. Porro ante hos quingentos, nobilem Centurionem illum Baeticum Malacitanum, qui morientem Christum filium Dei confessus est, Hispanis praedicasse, constat ex eodem Dextro dicente, hunc eundem Centurionem primum omnium Hispanis Genti suam mortem Christi retulisse. Quod si primus, haud alienè dixit noster Roa in sua Malaca cap. 9. verosimile esse primae inter omnes Hispaniae urbes Malacae patriae id officii à Centurione praestitum. Deinde Anno 37. ait Dexter, sanctum Jacobum, cum Caesaraugustanam, Tarracoensem, Barcinonensem, Valentianam, Hispalensem, & alias crexisset Meridionales Hispaniae Ecclesias, proprios cuique Episcopos praefecisse. Sed & Malacae praedicasse Jacobum disertè docet Dexter Anno 52. Floret Centurio Malacitanus, quem sanctus Jacobus ibi tingit. Hunc Centurionem, alterum fuisse ab illo, qui morientem Dominum Filium Dei agnovit, constat ex ipso Dextro; nam licet ad Ann. 35. dicat, illum etiam Hispanum fuisse, addit tamen à Barnaba fuisse baptizatum, hunc verò Malacitanum à Jacobo. Verum eos ex eadem clara inter Malacitanos familia Oppiorum fuisse, constat ex iis, quae diversis in locis tradit idem Dexter. Sed pergo numerare Urbes Australes Hispaniae à S. Jacobo luce Evangelica illustratas.

Centurio Christum Dei filium confitens.

Dexter. Centurio Malacitanus.

Baetica Civitates.

1550 Armeniorum Ecclesia jam olim in vetustissimo Breviario canit, Jacobum Apostolum Carthaginem Spartariam appulisse, in ibique Evangelium denuntiasse; inde Meridam, Granatam, Cordubam adisse. Sed & Discipulos ejus ad eandem transmigrationem Jerosolymitanam, ab Abdia praeviam, pertinentes, in acquirendis Christo Australibus Hispaniae Civitatibus strenuam operam posuisse, testis est Dexter ad Ann. 44. Hi sunt Torquatus Cthesiphon, Caecilus, Iscius, Secundus, Indalicus, Euphrasius; qui Magistri corpore in Hispaniam translato, & honorificè sepulto, Romam petunt, & à sancto Petro consecrati Pontifices ad Baeticam littoralem praedicaturi revertuntur. Iscius Carthage prope fretum praedicat, totamque oram maris interni percurrit; & Alone, & Carthage alteri in Mediterraneo mari. Torquatus, Acci, Malaca, & usque ad fauces freti; Idaletius Urci, Illiberi, Carthagine Spartaria, & Eliotroce; Euphrasius Ilturgi non procul à Carthagine Spartaria, populis qui dicuntur Contestani, ad Urbem Asotum, totoque agro Carthaginiensi praedicans ferventer discurret. Caecilus Illiberi, & circumquaque praedicat; Cthesiphon in Baetica Urbe Vergilia, Baste, Osea, in aliisque urbibus. Vide in haec Dextri Verba, Commentarium Francisci Bivarii.

Dexter.

SS. Petri & Pauli in Hispaniam adventus.

1551 Neque Jacobus tantum, ejusque Discipuli vaticinium Abdiae expleverunt, etsi ii maximè, sed & Petrus Apostolus colophonem addidisse voluit. Sic enim Dexter ad

Ann. Domini 48. & 49. cui suffragatur Metaphrastes in Commentario de Certaminibus, & Peregrinationibus Petri & Pauli. Juvat S. Gregor. Papa lib. 7. Registrum Vaticanum Epistol. 41. dicens hunc Petri in Hispaniam adventum ab eodem Apostolo significari. Vide Petrum Galesinum in Annotat. ad Martyrol. die Januarii 21. & alios, quos refert Bivarius in Dextro ad Ann. 50. num. 1. Neque post Jacobum solus Petrus, imò etiam Paulus dignam habuit Provinciam, quam pro sua omnium Ecclesiarum sollicitudine Doctor Gentium inviseret. Ita praeter Dextro ad Ann. 64. & 65. plerique gravissimi Patres, Dionys. Areopag. Stephanus Papa 1. Hippolytus, Athanasius, Hieronymus, Epiphanius, Cyrill. Jerosolym. Chryostomus, Theodoretus, Gregor. Romanus, Isidorus, Anselmus, & alii docuerunt, quos numerat Gaspar Sanctius in Disputat. de S. Jacobi in Hispania praedicatione, Tract. 4. cap. 1. post multos alios eruditissimos viros ab ipso nominatos eo loco: qui etiam addunt, Petrum & Paulum, non solum per seipsos, sed per discipulos etiam suos, Australem Hispaniam erudendam suscepisse.

1552 Quares, quid causae fuerit, ob quam Australis Hispaniae Urbes, praeter ceteris Hispanicis, designaverit Abdias? Duplex, vel si una, quae tamen duplici constat parte. Altera, quia Australis Hispania ceteris Hispanicis Provinciis longè sit caelo, soloque felicior, longè omni genere fructuum, auri, argentique copia locupletior; portuum item, atque commerciorum commoditate longè celebrior. Et solent Vates, quae nobiliora sunt Gentium, Christo Christianaeque Reipublicae polliceri: inde rati Christianum se Imperium magis magisque praedicando amplificasse, si nobilissimas Urbes, florentissimave Provincias in Christi ditionem ituras praedixissent. Et quidem humanae res ita ferunt, ut eò augustior Monarcha, eoque felicior quisque existetur, quò pluribus iisque nobilioribus, atque omni humana felicitate clarioribus Provinciis imperaverit. Porro Australem Hispaniam ceteris Hispanicis Provinciis caeli benignitate, solumque ubertate praestantior esse, & Hispani omnes agnoscunt, & exteri etiam antiqui testantur auctores, ex quibus aliqua in 1. hujus Tractatus sectione testimonia protulimus. Vide Pinedam nostrum l. 4. de Rebus Salom. c. 14. §. 6. Hinc igitur primam rationem petendam aio, ob quam Abdias, cum Hispanum Regnum Christo subactum iri praediceret, signatè Meridionales Hispaniae Urbes distinguit, ut harum nobilitate designatè, grandius conderet Christianae gloriae vaticinium.

Chr. Australis Hispaniae urbes praeter ceteris Hispanicis designat Abdias.

1553 Alteram, eamque potissimam, atque Prophetam dignissimam causam dixerim, Eximiam Australium Hispaniae Urbium Christianam religionem, jam inde ab Apostolicis temporibus florentissimam. Constat id ex iis, quae nuper de SS. Apostolis Jacobo, Petro, & Paulo, eorumque Discipulis in Meridionalibus Urbibus Hispaniae docentibus, Ecclesiasque erigentibus frequentissimas, commemoravimus; & ex iis, quae ad Pl. 44. 13. dicebamus; nec non ex Conciliis, quae primis illis nascentis Ecclesiae, atque adolescentis annis in Australi Hispania coacta comperimus; ea enim argumento sunt, Meridionales Hispaniae

Florentissimam Christianam Religionem in Australibus Hispaniae Urbibus.

Hispaniae Ecclesiae & numerosissimas, & Christianae religionis tuendae ac propagandae fuisse studiosissimas. Dexter ad An. Domini 60. sic scribit: Eodem tempore (Anno 57.) cum convenissent in Cherronenfi Urbe (Cherronesum in Celuberia, non longè à Sagunto statuit Strabo lib. 3. Eadem est, quam Romanum Martyrologium, una mutata litera per librarium incuriam, Cherronesum vocat die 4. Martii) prope Valentiam in Hispania, Concilii causa, SS. Pontifices, discipuli quoque S. Jacobi, Bassilius Carthaginis Spartariae, Discipulus ejus primus, Eugenius Valentinus, Pius Hispalensis Agathodorus Tarracoenensis, Elpidius Toletanus, Ethenus Barcinonensis, Capito Lucentis, Ephrem Asturigenis, Nestor Palentinus, Arcadius Juliobrigensis, sub eodem Judice Aloto, bonis spoliati, necati sunt.

Dexter.

Coacta Concilia in Australi Hispania.

Dexter.

Clericorum seminarium in Hispania Australi.

Illiberitanum Concilium.

Dexter.

Episcopi Australis Hispaniae.

1554 Antequam secundum in Baetica Concilium describam, per parenthesis addo quod Dexter ad Ann. Dom. 185. commemorat, & testimonium sit florentis religionis in Hispania, Australi maximè: nam hujus plures recenser Christianas Urbes Clericorum Seminaris ornatas. Plurima Collegia juveniis per Hispanias, ad Clerum instituenda, praesertim Caesaraugusta, Tarracona, Hispali, Carthagine, Toleti, Bracara, Augusta, Illiberi, praecipue in Urbibus degentia Praesulum diligentia eriguntur. Instaurata haec seminaria postea Legas. Anno 370. apud eundem Dextro, & rursum in Concil. Toletano 11. c. 1. & in 1111. c. 24. atque inde in alias Ecclesias generalem pervasisse Constitutionem alibi observas. Vide Tridentinum Sess. 23. c. 18. Pergo jam ad Illiberitanum Concilium; sic enim Dexter vocat, vocandumque eruditè probat Ferdinandus Mendoza lib. 1. de confirmando Concilio Illiberitano c. 1. De eo autem sic Dexter ad An. 300. Illiberi in Baetica Concilium multorum Episcoporum contrahitur. Praesit Felix Episcopus Accitanus. Ejus Canones collectos, digestosque addit à Felice Archidiacono Toletano. & S. Ofio Cordubensi. Quod ad tempus hujus Concilii attinet, illud Anno 300. aut 301. celebratum fuisse censet Mendoza citatus, cap. 2. Vide Bivarium ad Dextro Anno 300. Commentario 1. num. 5.

1555 Illud ex re est, quod ex XIX. Episcopis, qui huic Nationali Concilio leguntur interfuisse, XV. Australes Urbes moderabantur. Nam Felix Accitanus, Sabinus Hispalensis, Sinagius Agabrensis, Padius Montelanus, Catonus Virgitanus, Valerius Caesaraugustanus, Succesus Eliocrotenis, Patritius Malacitanus, Osius Cordubensis, Camerinus Tucitanus, Secundinus Castulonensis, Flavius Illiberitanus, Januarius Saliarensis, Eutychanus Bassitanus erat. Quas omnes Urbes in Baetica designat Mendoza citatus, veteraque earum nomina recentibus confert, lib. 1. c. 11. Adde, XXIV. Presbyteros, vel Episcoporum Vicarios, vel alias doctrinae ac religionis nomine comites accersitos, quos ex Baeticis ferme omnes Ecclesias fuisse, notatis etiam oppidorum nominibus, idem auctor eodem ostendit loco: & in universum, totum hoc Concilium ex Baeticis Patribus coactum, observavit noster Mariana lib. 4. de Rebus Hispaniae c. 16. Eò nimirum usque Christiana religio in his Meridionalibus Hispaniae tractibus increbuerat, ut quantumvis immanissimas Ecclesiae hostibus, Diocletiano, & Maximiano,

prorsus contemptis, tam in frequentissimis Urbibus, quam in ignobilioribus Oppidis, & templis magnifica exarent, in quae Christiani frequentes convenirent, & Synodi tot Episcoporum, Presbyterorumque publicè cogerentur, in quibus de Christiana religione tuenda, & propaganda tam liberè, sanctè, & sapienter tam multa decernerentur. Illiberitanum hoc Concilium Anno Domini 300. in Baetica celebratum, ab altero Toletano Concilio Anno 311. confirmatum fuisse, auctor est Dexter. Recentes adversus illud calumnias facile depulere P. Gabriel Vazquez 2. p. Tom. 1. disput. 105. à c. c. & disput. 1. c. 7. Suarez Tom. 1. 3. p. disput. 4. Sect. 1. Loana in Notis ad hoc Concilium & Mendoza in libris de ejus confirmatione ad Clementem VIII.

1556 Post quadraginta quinque annos ab hoc Concilio Illiberi habito, aliud Cordubae pro Athanasio Alexandrino contra Arianos numerosissimum fuisse coactum, docet Dexter sub Anno Domini 356. De quo vide Bivarium ibi. Haec, & similia antiquitatis argumenta satis, opinor, efficaciter docent, quam altas in Meridionali Hispania radices egerit Christiana fides ab Apostolo Jacobo, ejusque focus feracissima quondam regioni commendata, per prima illa Ecclesiae primitivae tempora; nam posterioribus, cum in unam Christianam Monarchiam tota coaluisset Provincia, cumque Reges, Reipublicae causa, in medio Regno sedem statuisent, ut plurimum Concilia nationalia Toleti habita. Merito igitur Abdias, Hispanientem Ecclesiam à primis Jerosolymitanis Transmigrationibus condendam praevidens, Australes Urbes ligatè commemoravit, utpote & propria felicitate nobilissimas, & Evangelicae religionis praeslantia praeter ceteris clarissimas. Transmigratione Jerusaleme, quae in Bosphoro est, possidebit civitates Austri.

Cordubense Concilium.

1557 Porro dum eos Christiana religione jam inde à Christo Domino, à S. Jacobi, & sociorum praedicatione, praestantissimas auctore, eximia illas erga Deiparam pietate praestitisse pronuntio; quae quidem pietas tum ubique Gentium, tum in Hispania, Australi maximè, ab ipsismet nascentis Ecclesiae cunabulis, simul cum ipsa Christiana religione semper adolevit. Quingentos illos Jerosolymitanos Christianos, quos Anno Domini 35. Spartariam Carthaginem appulisse diximus, auctore Dextro, simul cum mysteriis Christi, Vitam etiam Deiparae Virginis Hispanis denuntiasse statuimus. Itaque in Australi Hispania primum Dei Genitricis Conceptio, Natale, Partus, sanctimonia mirabileque virtutes proclamatae sunt. Quae omnia tam ardenti religione ab Hispanis excepta sunt, ut sacris mox peregrinationibus Palaestinam completerent, Deiparam Virginem invisuri, veneraturi. Dextri verba dedimus supra. Ad haec, S. Jacobum Apostolum in Hispaniam profecturum, haud sine Deiparae salutatae benedictione negotium aggressum, Granatenfes illae Laminæ docent, & S. Vincentius Ferrerius in Serm. de S. Jacobo. Planè & ipsum Apostolum Carthaginem nostram primum pervenisse, ex Armeniorum vetustissimo Breviario posuimus: itaque ab Australi urbe Hispaniae praedicationem fuisse auspiciatam. Addo in Australi Provincia Celtiberiae, primum Templum Caesaraugustanum Deiparae positum, Anno Domini

Australes Hispaniae Urbes eximia erga Deiparam pietate praestitere.

Primum Templum Caesaraugustanum Deiparae positum. Dexter.

mihî 39. uti, præter Dextrum, canit M. Maximus Episcop. Cæsaraugustanus in Hymno. Dextri verba sunt: *Prima totius orbis Aedes, erecta B. Virgini, Cæsaraugusta fuit. Post Praesules Tarraconensis, Hispalensis, Toletanus, & alii sacras Aedes vel oratoria Virgini dedicant.* Vides, nascente Ecclesiâ non tantum Cæsaraugustæ, sed & Tarracone, & Hispali erecta B. Virgini sacra delubra? At Cæsaraugusta, Taraco, & Hispali Australes sunt Hispaniæ Urbes. Addo denique non solum B. Virgine auspice Jacobum in Hispaniam advenisse, sed Christi & Mariæ gloria per universam hanc Provinciam, præsertim Australem, propagatâ, rursus S. Apollolum ad ipsam Virginem inde ab Australi Hispania fuisse Jerosolymam regressum; *de rebus gravissimis (ait Dexter) consulitur B. Virginem.* Nimirum Hispaniæ religio ad Deiparam maximè pertinebat. Ejus igitur auspiciis cœpta, ejusdem erat consilio, auxilioque promovenda. Audi Julianum Petri Archiepiscopyterum Toletanum in adversariis, numero 33. *Ab Apostolicis Temporibus maxima per Hispanias in B. Virginem devotio, & singularis amor; quam, cum in vivis esset, invocabant Peregrini quotannis cum muneribus; eratque frequentissima, celeberrimaque peregrinatio ex totius Orbis partibus ad eam. Præcipue Civitates hæc mittebant suos peregrinos: Tarraconenses, Pampilonenses, Barcinonenses; Idiensis, Cæsaraugustani, Bracharenses, Clunienses, Asturientes, Toletani, Emeritenses; quibus, eorumque Civitatibus Virgo sanctissima benedicens, & in suam tutelam recipiens, domos latos & devotos remittebat. Et in Chronico, Anno 36. de Jacobo Apostolo loquens: Cæsaraugustam ubi illi nocte oranti apparet B. Virgo super Columnam comitata Angelis, allato secum S. Joanne, individuo B. Virginis, dum vixit, comite; justique ibi erigere in honorem suum Ecclesiam, & super Columnam illam altare; futurum pollicens mansuram præ cæteris Hispaniarum Civitatum devotionem B. Virginis, & Fidei sacra anchoram semper ibi inconcussam fore.*

SECTIO XXVII.

Nobilissimum Dominica Passionis proventum extare Hispanorum conversionem, & eximiam religionem usque ad vitæ dispendium, probatur ex Isaia, & Joanne.

1558 **I**N primis præjectam Thesim inniti reor prælustri Isaia vaticinio, difficili planè, & quod Interpretes faciat abire huc, illic. Sic divinus ille Vates cap. 53. 9. *Dabit impios pro sepultura, divitem pro morte sua.* LXX. pro *divitem*, in plurali legunt, *divites*: atque ita etiam antiqui Patres, Chrysostomus, Tertullianus, Cyrillus, Procopius, & multi alii. Si *divitem* legas, divitem Populum, seu Gentem aliquam opulentiam insignem intelligas; nam sæpe singularis numerus pro plurali ponitur in litteris inspiratis, ut rectè Augustinus observat lib. 5. de Genes. ad litteram cap. 10. Verò enim, quoad verhorum sensum attinet, frequens est terè omnium veterum consensus, hic agi de impiis, atque divitibus, qui Christum damnarunt, affeceruntque mortè Crucis ignominiosâ; prædicique, eos in fuorum hostium potestatem tradendos, ut de illis vindictam su-

Hispania religio ad Deiparam maximè pertinebat.

Julianus Petrus.

mant. *Dabit itaque Deus impios, & divites, neci nimirum, & mille ærumnis, pro sceleribus, quæ in Christi morte, & sepultura patrarunt.*

1559 Sed illa mihi videtur magis expedita intelligentia, quæ ea Isaia verba capit, non de vindicta, sed de commutatione, & remuneratione; ita ut pro morte, quam acerbam tulit Christus, atque ignominiosam, subjiciendos ei prædicat, adoptandosque in filios, impios homines, & vitæ profligatæ, qui nullo modo amplexuri videbantur Evangelium; pro morte, inquam, & sepultura divites signatim. Ita explicant S. Hieronymus in priori interpretatione, Haymo, Dionysius, Adamus, nostri Sanctius, Cornelius, & alii ex recentioribus Biblicè peritis. Egregium sanè fuit illud divinæ in Israeliticam Gentem dilectionis argumentum, quod idem Vates Isaia 43. 3. significat. *Dedi propitiationem tuam Egyptum, Æthiopiâ, & Saba pro te;* id est, pro te mihi retinendo, has Provincias, & regna nihili ducens quasi victimas piaculares obruli. LXX. vertunt; *dedi commutationem tuam; Vatablus, redemptionem animæ tuæ; Pagninus, pretium tuum.* Hoc factum, cum Sennacherib contra Solymos profectus desiliit ab incepto, his primùm Nationibus expoliatis contentus. Addit Propheta: *Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & gloriosus; ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro anima tua.* Mirè hic locus nostram non probat solum, sed etiam auget. Eximium quidem fuit hoc beneficium; at verò quantum nostrum comparatum? Illic impiorum hominum capitibus Gentem sibi charissimam redemit Deus; hic autem Filii sibi charissimi sanguine & vitâ impios homines redemit: *Dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua:* aurea pro æreâ, dicitur veteri proverbio ad inæqualem admodum permutacionem significandam: at hic divinæ aurum personæ, non solum pro ære permutatur, sed & pro vilissimo luto, pro hominibus obrutis flagitiorum cœno. His igitur postis,

1560 Serio utique arbitror, Impiorum nomine in eo Isaia loco, omnes impios à Christo emptos pretio sui sanguinis, & mortis, comprehendi, ut multi explicant: *divitem* verò populum sive divites impios, quorum specialis fit mentio, Hispaniensem Gentem esse, seu Hispanos impietate olim infames, & opibus semper illustres, autumamus; non ut Hispani rebus faveamus nostris, sed ut ea, quæ verba simpliciter offerunt, excipiamus. Probatur primò, quia hæc Isaia verba, ut credo, planè alludunt ad illa Psalm. 44. 13. *Filiæ Tyri in muneribus cultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis;* quæ supra de summa pietate explicavimus, qua Hispani Christum & Deiparam ab Apostolicis temporibus observarunt, & locupletarunt muneribus: Hispaniam enim *filiam Tyri* appellat, & Hispanos, *divites*. Nam quemadmodum, cum thuris & aromatum proventum audimus, Arabiam cogitamus; sic etiam cum *divites* in Davide, & Isaia, nos in Hispaniam illicò adducunt. Recole quæ in superioribus diximus de Hispaniensi opulentia, & divitiis. Psalmode igitur consonat Vates Isaia, dum *divites*, Hispanos nuncupat, & Christi imperio subjiciendos prædicat,

Quid sit dabit impios pro sepultura &c.

Isai. 43. 3.

Impiorum nomine omnes impios, Divitem: voce Hispanos signatim intelligo.

Psalm. 44. 13.

in pretium, seu commutationem Dominicæ Passionis. Probatur secundò, quia Hispanâ Natione nulla alia sincerior, tenacior, & antiquior (gratius sint immortales Deo) in retinenda, propugnanda & spacianda Christi subjectione, usque ad exhausti sanguinis profusionem, & vitæ dispendium; nulla alia plures Martyrum legiones Catholicæ Ecclesiæ dedit: nulla ergo alia dici melius potest data Christo in pretium sanguinis ipsius. Et quidem singulari quadam prærogativa, qua specialiter dicitur redempta ab Isaia. Ut enim in emodatione textus notabamus; cum de aliquo generatim in sacra narratione contentio specialis fit mentio, favoris eximii, & singularis dignitatis id argumentum est, ut Marci 16. 7. *Dicite Discipulis ejus, & Petro: ad eum modum cum dixit Isaia, dabit impios pro sepultura, universali hac propositione omnes impios, Hispanos etiam, comprehendendo; sed specialis Hispanorum divitum favor fuit, quòd de illis adderet, & divitem, seu divites pro morte sua.* Quæ omnia luculentiora sient ex Isaia illustratione, quam mox subjicio.

1561 *Dabit impios pro sepultura, & divites pro morte sua.* Scitè observat noiter Sanctius, mortem hic, & sepulturam diversa non esse; nam hæc duo sæpè in scriptura aut per synonymiam, aut per epexegetum conjungi solent. Signanter itaque Christo à Patre dandos in remunerationem, in pretium angustiarum, cruciarum immanissimorum, mortis atrocissimæ, & sepulturæ illorum cruciatuum termini vates, Hispanos homines, vaticinatur Isaia. Extat in hujus rei illustrationem nobilissimum locus apud Joannem cap. 12. vers. 20. ubi cum Gentiles quidam ad Christum Dominum jam morti proximum, invensendum advenissent, Philippo, & Andrea internuntii usi; ipse præ oculis illos habens, in ea prorupit verba, *Veni hora, ut clarificetur Filius hominis. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Sub triticeï grani metaphorâ, terræ dai, ibi mortui, atque inde abundè multiplicati, ostendit Dominus, magnam sibi gloriam ex sua morte, magnumque Gentilibus fructum accessurum. Porrò Gentiles illos Christum invisentes, Hispanos fuisse, testatur Dexter ad Ann. Christi 35. cujus verba proximè antelapsa Sectione dedimus. Consonat Julianus Petri in Chronico ad Ann. 36. num. 6. & in Adversariis, nu. 427. *In Archivo S. Justæ Toletana erat, quòd multi Gentiles, qui venerant Jerosolymam orare ad S. Templum, erant Hispani; qui voluerunt videre, & alloqui Jesum, cupientes ut Gentilibus suæ terræ predicaret, maximè Centurione Hispano, qui interfuit passioni Domini, poscente.* Qui etiam addit rem scitu dignissimam: *Illis presentibus, dixit Dominus Petro, quòd Jacobus Zebedæi filius veniret in Hispaniam.* Neque obest, quòd in Exemplari Græco illi Gentiles appellentur *εθνη*, id est, *Græci*: hoc enim nomen Scriptura sæpè non Gentem, sed Gentilem, sive clarior, non Nationem, sed Religionem notat Ethnicam, uti adductis exemplis observant nostri Salmeron Tom. 8. Tract. 55. ad hunc ipsum Joannis locum, Lorinus Act. 6. 1.

Mort hic & sepultura idem sunt.

Dati Hispani homines Christo in remunerationem mortis.

Joan. 12. 20.

Hispani Christum ad hoc in terris invisentes.

Græci pro Gentibus.

Maldonatus Matth. 15. 22. Quod pervidit Vulgatus Interpres, qui non *Græcos*, sed *quosdam Gentiles*, interpretatus est; consultò, ut eos non Judæos religione, sed superstitione Græcos esse doceret, eujuscumque essent Nationis; quam Hispanam fuisse, ex vetustis Hispanæ Ecclesiæ monumentis designarunt Dexter, & Julianus. Quid ni verò solidam hanc tam antiquæ, tam nobilis Christianitatis gloriam illustris Quinonum Hispanorum familia sibi vindicabit, ut majoribus suis tam præclarum adscribat factum? Constat tum ex Hispanorum Legionensium veteri traditione, tum ex antiquissimo instrumento, nobilem Hispanum-Quinonem proprii patrimonii Oppidum tribus millibus unciis vendidisse, ut redactâ pecuniâ Christum Dominum in Palæstina docentem auditum ireret, ac visum. Quidni, inquam, hic fuerit, quem cum sociis Christum invisentibus laudat Joannes Evangelista loco citato? Meritò quidem tam illustri avo nobilissimè gloriantur Quinones, non minus, quam aut excellentissimorum Comitum Bonaventensium, aut Augusto Regum Catholicorum sanguine, quem jure jactant.

1562 Sed ut ad rem ipsam redeam, extendo honorem illum, quo Dei Filius Hispanam Gentem id temporis, quo Passionem suam adornabat, humanissimè profecutus est: Hispanis itaque adstantibus, gravem in primis de sua ipsius morte ac de ingenti messe, ab uno illo Evangelico grano proventura sermonem Christus Dominus instituit: quasi nobilissimum propriæ passionis proventum conversionem Hispanorum exituram portenderet; quasi in illis Gentium cæterarum primitiis uberrimam Regionum reliquatam messem certò jam designaret. Annè verò exigua Hispanæ Gentis est gloria, quòd in Hispanorum illorum adventu, certò jam tantæ, ac tam Catholicæ futuræ Hispaniæ fidei prærepto veluti pignore, dixerit Christus: *Veni hora, ut clarificetur Filius hominis?* Prævidebat nimirum, quantæ divinæ suæ gloriæ accessiones jam inde ab Hispanorum Christiana religione essent faciundæ. Neque opprimenda illa vox, qua Filio exposcenti v. 28. *Pater clarifica nomen tuum, annuit de cælo Pater clarè intonans: Et clarificavi, & iterum clarificabo,* significans, superioribus omnibus signis, prophetiis, & oraculis id se egisse, ut Filius Dei agnosceret, addens eadem se porrò aucturum, facturumque ut ejus gloria longè jam per passionem & Crucis mortem illustrior per orbem esset propaganda, cujus certissimum pignus esset Hispania ad sacros jam cælestis Regis pedes provoluta. Hujus enim conversionem, & eximiam pietatem tenaciter retentam, & longè latèque propagatam, futuram esse indicabat nobilissimum Dominicæ passionis proventum. Et quidem si Christi verba illa apud Joannem cum Isaia verbis componas, mirificè inter se consonant, & sibi mutuo splendorem conciliant. Quod enim Christus sub triticeï grani metaphora in terra demortui, & uberrimum fructum afferentis pronuntiavit, Isaia expressit illis verbis: *Generationem ejus quis enarrabit, quia abscissus est de terra viventium? Et dabit impios pro sepultura, & divites pro morte sua.* Ubi, *generatio*, pro gente sumitur, familia, & populo ex eadem stirpe propagato; pro

Quinonum Familia.

Clarificatus Christus Hispanorum conversione.

Joan. 12. 28.

Isai. 53.